

CAPUT SECUNDUM.

De Baptismi existentia & necessitate adversus Novatores.

§. VII. **Q**Uæ diximus *capite* I. Catholico viro sufficienti, sed ad refellendos Novatores non sufficere arbitramur; qua propter operam dare debemus, ut cognitos illorum errores refellamus. Ac primo quidem, ut rerum ordo postulare videtur, a Baptismi necessitate incipimus; nam circa Baptismi existentiam tempus infumere supervacaneum foret, tum quia disertissime ex Evangelio constat, a J. C. institutum Sacramentum Baptismi: tum etiam quia controversia, quam cum Socinianis, & Calvinianis habemus, non respicit Baptismi existentiam, sed existentiam præcepti suscipiendi Baptismum. Calviniani enim asserunt, Baptismum non necessarium neque necessitate mediæ, neque necessitate præcepti. Id docuit Calvinus *Inst. Theol. c. 15. §. 22.*, & recens quidam anonymus Calvinista, qui anno 1774. Theologiæ Christianæ (melius dixisset Antichristianæ) Institutiones divulgavit, lib. V. c. IV. quærit: *Est-il d'une nécessité absolue d'administrer le Baptême?* Deinde sic respondet: *Ce n'est pas que nous pensions, que cette sainte cérémonie (sic vir effrons, ac pessimus N. L. Sacramentum appellat) soit d'une nécessité si absolue pour le salut, que tous ceux, qui n'auront pas été baptisés, soient irremissiblement privés du séjour céleste; puisque l'Écriture (profecto, nec illam a limine salutaverat.) Sainte n'a jamais (vah putidum mendacium!) rien annoncé de semblable.* Sed jam ad Socinianos veniamus.

§. VIII. Sociniani, ex Calvinianorum sæce progeniti, negarunt primo, Christum dedisse Apostolis præceptum baptizandi, & verba illa Christi *Matth. 28. Euntes docete baptizantes* &c. de doctrina, & instructione intelligenda esse, non de aquæ Baptismo. Negarunt postea, (in hypothese quod verum extet Baptismi suscipiendi præceptum) hoc præceptum esse universale, & perpetuum; illo quidem obstringi Gentiles & Judæos, non enim Christianorum filios.